



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. S. Paulus, an percutienti imprecatus sit, vt vicissim percuteretur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

reas in ponte frequentes ducerent, & illas venerabile Christi Sacramentum deferretur, nullo in genua procumbente, pons decidit, & ducenti propè mortales perierunt. Nempe qui saltando peccarunt, luerunt quoque de ponte salientes, vt quia filiam Herodiadis in petulantia imitabantur, ei etiam in interitu assimilarentur.

Sanctus Paulus, quòd orationis initio Principem sacerdotum Ananiam nominatim non aliquo honoratiore titulo affectisset, vel tantam innocentiam professus esset, *Ananias praecepit* *stantibus sibi, percutere os eius, cui illico talionem vaticinans Paulus dixit: Percutiet te Deus, paries dealbate.* Hæc verba docet S. Augustinus *minus intelligentibus conuitium sonare, intelligentibus prophetiam esse.* Nam tunc Apostolus serio, atque Apostolica quadam auctoritate, percussione suæ authori interitum denuntiauit, tum vt eam absterret, tum ne videretur Tribuno, qui aderat, contemnendus, quem à flagris sibi infligendis prohibuerat. *Nonimus quidem,* ait S. Chrysostronus, *quòd de hoc loco aliqui satisfaciunt, loco prophetia velint esse, quod dictum est: nec culpo dicentis: uenim istud euenit, sicq; defunctus est.* Nam diuina inspiratione sciebat Paulus, quid Ananiæ euenturum esset, *nec decet cum Caiapha Paulum hac in re comparare, qui quod prophetabat, nesciebat,* ait Carthusianus. Vetat quidem Dominus, *ne quis malefacientibus male faciat, aut maledicat maledicentibus, vel imprecetur;* & ipse Paulus idem præcipit, & à se sic factum scribit; tamen quandoq; licet *utrumlibet zelo iustitia, & iudiciaria potestate, atq; sine vindicta liuore, sine odio.* vt D. Gregorius monet, & suppetunt in eodem Paulo alia exempla, vt in Petro, Elia, Ieremia; alijsque diuini honoris zelo inflammatis. Summus igitur sacerdos Ananias, *paries dealbatus; ita vt nomine forinsecus niteret,* ait S. Augustinus, *intrinsecus luteis concupiscentijs sorderet,* quia S. Paulum percussit iussit, vicissim percussus est, & quidem manu Dei, in quam incidere horrendum est. Manus enim omnipotentis omnipotens est.

Caueant igitur, quicumque alios seu lingua, seu manibus percutiunt; nihil erit apud diuinum tribunal impunitum; et si enim id illis nullus Paulus prædicat, prædicat tamen ratio, prædicat iustitiæ diuinæ æquitas, eos vicissim, nisi se ipsos iudicent, puniant.

VII.

A& 23. 2.
S Augustin.
1. de Serm. in monte, c. 19.

S Chrysostr.
hom. 6. de laudib. S. Pauli.
Ioan. 11. 51.
Luc. 6. 28.
Rom. 12. 14.
1. Cor. 4. 12.
S. Greg. 1. 4. Moral. cap. 6.
2. Tim. 4. 14.
Gal. 5. 12.
A& 13. A& 8.
4. Reg. 1.
Ierem. 12.
S. Augustin. de mendacis cap. 15.

VIII.